

quae juvenilem quoque animum dissolvit, eo perducta est, ut, etiam si possit aliquid praestare, tamen promittere non possit. Quaecunque apud illam aut puer, aut juvenis deposui, quasi recentia et modo audita sine cunctatione profert. At si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit et amisit, ut, etiamsi saepius ingerantur, toties tanquam nova audiam.

Hortensius in auctione persedit diem totum: et omnes res, et pretia, et emtores, ordine suo, argentariis recognoscentibus, ita ut in nullo falleretur, recensuit.

Quidam recitatum a poeta carmen novum, suum esse dixit, et protinus memoria recitavit: quum hoc ille, cujus carmen erat, facere non posset.

II. JUSTINUS. *

MEDORUM MONARCHIA SUB ASTYAGE, CYRI AVO.

(LIB. I, c. 4, 5, 6, 7, 8).

C. 4. Post multos reges, per ordinem successionis, regnum ad Astyagen descendit. Hic per somnum vidit ex naturalibus filiae, quam unicam habebat, vitem enatam, cujus palmite omnis Asia obumbraretur. Consulti harioli, ex eadem filia nepotem ei futurum, cujus magnitudo praenuntietur, regnique ei amissionem portendi, responderunt. Hoc responso exterritus, neque claro viro, neque civi filiam, ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret; sed ex gente obscura tunc temporis, Persarum, Cambysi, mediocri viro in matrimonium tradit. Ac ne sic quidem

libid.

* Ex edit. Magdeburg. 1770.